

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0601

Sabato 02.09.2023

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione dell'Incoronazione dell'immagine della Madonna "Salute degli Infermi" (Santuario Arcidiocesano di Smolice a Poznań, Polonia, 9 settembre 2023)

L'Em.mo Card. Dominik Duka, O.P., Arcivescovo emerito di Praga, è stato nominato l'8 luglio 2023 Inviato Speciale alla celebrazione dell'incoronazione dell'immagine della Madonna "Salute degli Infermi", che si terrà nel Santuario di Smolice (Arcidiocesi di Poznań) il 9 settembre 2023.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

- 1) Mons. Bogdan Cześz, Consultore della Commissione per la Dottrina della Fede presso la Conferenza Episcopale Polacca;
- 2) Mons. Ireneusz Dosz, Cancelliere della Curia Metropolitana di Poznań.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

DOMINICO S.R.E. Cardinali DUKA, O.P.

Archiepiscopo emerito Pragensi

«Ecce Christus ad lectum aegroti clamatus venit. "Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur". "Ego veniam et curabo eum" (Mt 8,6.7). Hic est eventus – unus ex multis; totum Evangelium similium rerum plenum est – Christus ad aegrotos clamatus, Ipse ab ipsis invocatus. Christus vero famulatur infirmis dolentibus» (s. Ioannes Paulus II, *Homilia* 1, Gedani, die XII mensis Iunii, anno MCMLXXXVII). Ubi autem Ipse, ibi etiam semper eius Suavissima Mater adstat, quae nomine *Salus infirmorum* a christifidelibus merito appellata

eoque quidem fidenter invocata pro filiis suis, sub cruce acceptis, velut Mater (cfr *Io* 19,27), magnopere apud Deum intercedit.

Novimus autem ex litteris Venerabilis Fratris Stanislai Gądecki, Archiepiscopi Metropolitae Posnaniensis, celebrem imaginem, gratis clarentem ac plurimis miraculis, *Dominæ Nostræ Salutis Infirmorum*, quæ in archidioecesi Posnaniensi in vico v.d. *Smolice* iam a XIV sæculo pie colitur, coronis, a Nobismet Ipsi in Urbe die XVII mensis Maii currentis anni benedictis, decoratum iri, ad maiorem gloriam atque splendorem Beatae Mariae Virginis, cuius protectio et intercessio apud Deum temporis pandemiae viri coronarii peculiari modo animadversa est.

Ideo, memoratus Praesul humanissime quaesivit ad sollemniorem efficiendum hunc ritum magisque Redemptoris Matrem honorandam, ut Nos Patrem Purpuratum eligeremus, qui apud Sanctuarium *Dominæ Nostræ Salutis Infirmorum* in *Smolice* inter Missarum sollemnia personam Nostram gereret. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui peculiari cultu ac devotione erga Virginem Sanctissimam emines, ad dictum eventum fidenter comiterque destinamus. Itaque, hisce Litteris te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad memoratum ritum incoronationis, qui proxima die IX mensis Septembris in dicto Sanctuario sollemni modo celebrabitur.

Liturgicis ritibus praesidens Nostram benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim Posnaniensi diligenti Pastori itidemque omnibus Fratribus in episcopatu, presbyteris, diaconis, cunctis vitae consecratae membris et christifidelibus laicis. Deinde omnes congregatos ferventer hortaberis ut Beatissimam Mariam Virginem filiali corde constanter colant atque omnes vitae sollicitudines eius intercessioni piissime committant, quia ipsa omnes filios suos ad Dei Filium, qui est via, veritas et vita (cfr *Io* 14,6) tute et suaviter ducit.

Nos profecto tuam missionem precibus comitabimur, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Beatae Virginis Mariae eiusque Sponsi sancti Ioseph. Nostram denique Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petrino ministerio exercendo preces postulantes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXXI mensis Iulii, in memoria s. Ignatii de Loyola, presbyteri, anno MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

FRANCISCUS

[01318-LA.01] [Testo originale: Latino]

[B0601-XX.01]
